# DE HEROOLOGIA PINDARICA.

---

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS OBTINENDIS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

IN

UNIVERSITATE LITTERARUM JENENSI

PROPOSUIT

CONRADUS OHLERT.



---

REGIMONTI PR.

TYPIS GRUBERI ET LONGRINI (G. LONGRINI).

AMICO

GUSTAV SCHNEIDER

HASCE PRIMITIAS

GRATAS ESSE

VULT

AUCTOR.

# Commentationis dispositio.

# Compendia.

Pindari Carmina cum deperditorum fragmentis selectis relegit F. G. Schneidewin. Lips. 1862.

P. opp. Textum in gen. metra restit., annot. crit., schol., interpr. lat., comment. perp. et indd. adiec. A. Boeckhius 2 tomi in 4 partt. Lips. 1811—22. 4. Edit.

P. c. fragm. ex recensione Boeckhii, comment. perp. illust. D. Dissen. Gothae et Erf. 1830. 2 Voll.

Editio II. cur. F. Schneidewin. 2 Voll. Sect. I. II. Goth. 1847—52. unvollendet.

R. Rauchenstein zur Einleitung in Pindars Siegeslieder. Aarau 1843.

C. F. Dammii lexicon Hom. Pindaric.

Inter heroologiam Pindaricam et antiquiorem heroum doctrinam gravissima quaedam intercedunt discrimina, quae manifesto apparebunt, si heroologiam Hesiodiam tenemus in Opp. Di. v. 159 seqq. memoratam.

Tertio loco de heroum Pindaricorum cultu agamus, quem poeta plurimis in locis tetigit, primus in hoc genere auctor.

Hic heroum cultus ab inferiis ortus, quae mortuis vel potius diis ὑποχθονίοις fieri solebant Hermann antiqq. scr. §. 16, 17. Preller. myth. gr. 1. p. 639. sq. Od. 11, 26 sq., ante omnia ad heroum sepulcra ipsa pertinebat.

Erant illa heroum sepulcra plerumque in loco (τεμένει) sacro sita. Illud τέμενος, σηκός, fanum erat locus quidam sacratus atque muro vel septo definitus, in quo sacellum erat vel ara sine sacello cf. Hermann. antqq. scr. §. 19. Olympiae igitur in Alti Pelopium erat cf. Pausan. 5, 13, 1 ἐστὶ δὲ ἐντὸς τῆς Ἄλτεως καὶ Πέλοπι ἀποτετμημένον τέμενος, vel Πελόπιον 5, 13, 5. cf. 5, 27, 1. ἄλλα ἀναθήματα . . . τοῦ τεμένους δὲ ἐγγύτατα ὃ τῷ Πέλοπι ἀνεῖται. In illo necesse est Pelopis tumulus fuerit, quem poeta vocat τύμβον ἀμφίπολον O. 1. 93. propter hominum in Alti et Pelopio frequentiam. Vicina erat magna ara Jovis Paus. 5. 13, 5. Sed Pelopis quoque ibi fuisse aram docet Apollodor. 2, 7, 2 ab Hercule conditam. Prope priscum illum Pelopis tumulum Hercules certamina Olympica dicitur instituisse O. 11, 24 sq. ἀρχαίῳ σάματι πὰρ Πέλοπος. Prope idem sepulcrum quotannis Pelopi αἱμακουρίαι fiebant O. 1, 93, ariete caeso nigro Pausan. 5, 13, 2: θύουσι δὲ αὐτῷ καὶ νῦν ἔτι οἱ κατὰ ἔτος τὰς ἀρχὰς ἔχοντες. τὸ δὲ ἱερεῖόν ἐστι κριός μέλας. αἱμακουρίαι sunt — ut Boekh. l. l. p. 112 monet — ἐναγίσματα

νεκρῶν, ἡρώων, victimarum sanguine cruenta Dorica et Boeotica voce cf. Schol. ad. h. l. Manes enim precibus evocati sanguine fuso dicebantur satiari et ipsis sacris interesse, ut Plutarchus Aristid. c. 21. de Graecis in pugna Plataeensi interfectis locutus est καὶ τὸν ταῦρον εἰς τὴν πυρὰν σφάξας καὶ κατευξάμενος Διὶ καὶ Ἑρμῇ χθονίῳ παρακαλεῖ (ὁ ἄρχων) τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας ἐπὶ τὸ δεῖπνον καὶ τὴν αἱμακουρίαν.

Illas autem αἱμακουρίας, χοάς, ἐναγίσματα ab θυσίαις quae diis Olympicis offerebantur, aliena fuisse docent nonnulli veterum Graecorum loci, ut Herodot. 2, 44. Pausan. 2, 10, 1. In nonnullis quidem locis haec discrimina non servantur, ut Hedotus 7, 117 habet θύουσιν ὡς ἥρωϊ, vel Thucyd. 5, 11 ὡς ἥρωΐ τε ἐντέμνουσι καὶ τιμὰς δεδώκασιν, ἀγῶνας καὶ ἐτησίους θυσίας. cf. de hac re Grotefendum in Erschii et Gruberi encyclop. reali p. 416. Illud profecto ex Pindaro Isthm. 3, 110 apparet, sacra heroibus occidente sole fieri solita esse. Idem dicit Schol. ad h. l. 110 p. 537. τοῖσιν ἐν δυσμαῖσιν αὐγαν] τοῦτό φησιν ὡς περὶ τὴν ἑσπέραν τελουμένων τῶν νομίμων τοῖς Ἀλκαΐδαις, et: ἔθος πρὸς δυσμὰς ἱερουργεῖν τοῖς ἥρωσι, κατὰ τὰς ἀνατολὰς τοῖς θεοῖς cf. Schol. Apoll. Rhod. 1, 587 τοῖς μὲν οὖν κατοιχομένοις ὡς περὶ ἡλίου δυσμὰς ἐναγίζουσι, τοῖς δὲ Οὐρανίδαις ὑπὸ τὴν ἕω, ἀνατέλλοντος τοῦ ἡλίου. Et ipsae heroum arae s. ἐσχάραι non ita elatae quam deorum altaria erant cf. Pollux I. 8: ἐσχάρα δ' ἰδικῶς δοκεῖ ὠνομάσθαι, ἐφ' ἧς τοῖς ἥρωσιν ἀποθύομεν. vide Grotefend. l. l. p. 416 et Hermann l. l. §. 16, 13.

Ut jam ad Pindarum ipsum revertamur, Iolai porro commemoratur tumulus O. 9, 99, qui ante portas Proetides in stadio s. gymnasio Iolai situs erat Pausan. 9. 23, 1 Θηβαίοις δὲ πρὸ τῶν πυλῶν ἐστι τῶν Προιτίδων καὶ τὸ Ἰολάου καλούμενον γυμνάσιον καὶ στάδιον κατὰ ταὐτὰ τῷ τε ἐν Ὀλυμπίᾳ καὶ τῷ Ἐπιδαυρίων γῆς χῶμα. Illi gymnasio junctum fuisse Amphitryonis sepulcrum docent Scholia ad Nem. 4, 20 vid. 32 p. 452 τὸν ἀγῶνα οὖν τῶν Ἡρακλείων φησὶν ἐν τῷ τοῦ Ἰολάου γυμνασίῳ διακεῖσθαι περὶ τὸ τοῦ Ἀμφιτρύωνος μνῆμα, ἔνθα φησὶ καὶ τὸν Ἰόλαον κεκονοταφῆσθαι. Et profecto poeta ipse Iolaum narrat in sepulcro Amphitryonis conditum esse a Thebanis P. 9, 81, τὸν... κρύψαν ἔνερθ' ὑπὸ γᾶν διφρηλάτα Ἀμφιτρύωνος σάματι. cf. N. 4, 20 Ἀμφιτρύωνος τύμβος. Atque in illo stadio ageban-

tur Heraclea, quae etiam Iolaia dicuntur cf. Schol. ad N. 4. 20, saepius a poeta memorata ut J. 1, 55 sq. In illo quem attuli Pausaniae loco 9, 23, 1 post memoratum gymnasium haec inveniuntur: ἐνταῦθα (sc. ἐν γυμνασίῳ) δείκνυται καὶ ἡρῷον Ἰολάου. In illo igitur gymnasio haud scio an vel Pindari temporibus locus quidam sacer fuerit muro vel septo definitus, qui illud sepulcrum complectebatur. Therapnae porro Φοβαῖον erat, in quo Dioscurorum templum fuisse docet Paus. 3, 20, 2 et 3, 14, 6. In hoc ipso templo videtur illud sepulcrum fuisse a poeta memoratum N. 10, 56. J. 1, 31. P. 11, 63 cf. P. 1, 66: Illud intelligendum est sub terra structum cf. Dissen. l. l. p. 508.

Idem Pausanias monumentum Herculis et Megarae liberorum vidit 9, 11, 1 ante portas Electras situm: ἐπιδεικνύουσι δὲ Ἡρακλέους τῶν παίδων τῶν ἐκ Μεγάρας μνῆμα. Prope illud quae a Pindaro describitur solemnitas acta videtur esse, J. 3, 79 sq.: τῷ μὲν Ἀλεκτρᾶν ὕπερθεν δαῖτα προσύνοντες ἀστοὶ καὶ νεόδματα στεφανώματα βωμῶν αὔξομεν ἔμπυρα χαλκοαρᾶν ὀκτὼ θανόντων, τοὺς Μεγάρα τέκε οἱ Κρειοντὶς υἱούς· τοῖσιν ἐν δυσμαῖσιν αὐγᾶν φλὸξ ἀνατελλομένα συννεχὲς παννυχίζει αἰθέρα κνισᾶντι λακτίζοισα καπνῷ, καὶ δεύτερον ἆμαρ ἐτείων τέρμ' ἀέθλων γίγνεται ἰσχύος ἔργον. Institutae igitur sunt his liberis Herculis inferiae habitae quotannis stato tempore sub occasum solis, quum ludi epitaphii additi essent secundo semper die acti ut ipse carminis locus docet. Prope sepulcrum in eodem fano (τεμένει) videntur illae arae ornatae fuisse, in quibus flamma totam noctem splendet v. 83. 84. Coronatas a veteribus aras notissimum, tum autem quotannis novae coronae ferebantur ut monet Dissen. l. l. p. 559. In illis aris porro plurimi peregrini sacrificia offerunt, aut pietate ducti aut quod certamen subituri Herculis liberos student sibi propitios reddere. Qualia fuerint illa quae in aris ardent sacrificia v. 81, 83 sq. quod Pindari tempore quum victimae tum fruges offerri solebant cf. Hermann §. 25, 9., non satis perspicuum est. Dissen. quidem l. l. p. 559 verba αὔξομεν ἔμπυρα explicat „sacrificia sacrificamus".

Delphis erat conditus heros Neoptolemus, cujus sepulcrum prope templum Apollinis situm fano circumdatum fuisse Paus. 10, 24, 5. dicit: ἐξελθόντι δὲ τοῦ ναοῦ καὶ τραπέντι εἰς ἀριστερὰ περίβολός ἐστι καὶ Νεοπτολέμου. καὶ Ἀχελλέως ἐν αὐτῷ τάφος. Et

ipse Pindarus eum jacere sepultum ἐν παλαιτάτῳ ἄλσει θεοῦ πὰρ' εὐτειχέα δόμον N. 7, 44 sq. docet, cf. v. 34 ἐν Πυθίοισι δὲ δαπέδοις κεῖται. Illi quoque heroi quotannis ἐναγισμούς oblatos esse ex Pausanio patet l. l. καί οἱ κατὰ ἔτος ἐναγίζουσιν οἱ Δελφοί. Idem vero quod 1, 4, 4 herois sepulcrum usque ad bellum Gallicum contemptum fuisse a Delphis docuit, doctissimorum hominum disquisitionibus jam satis exploratum est, illam Pausaniae sententiam esse perversam. Inferias enim jam Pindari tempore heroi oblatas esse ex poetae verbis clarissime apparet v. 46 sq.: ἡρωΐαις δὲ πομπαῖς θεμισκόπον οἰκεῖν ἐόντα πολυθύτοις εὐώνυμον ἐς δίκαν. cf. Dissen. in B. ed. P. p. 428.

Aeginae erat fanum Aeaco consecratum cum luco cf. O. 13, 109 Αἰακιδᾶν εὐερκὲς ἄλσος ubi sepulcrum herois erat, cf. Pausan. 2, 29, 6 ἐν ἐπιφανεστάτῳ δὲ τῆς πόλεως τὸ Αἰάκειον καλούμενον, περίβολος τετράγωνος λευκοῦ λίθου.

In vestibulo illius Aeacei Pytheas victor coronas suas dicitur suspendisse N. 5, 53 sq.: προθύροισιν δὲ Αἰακοῦ ἀνθέων ποιᾶντα φέρειν στεφανώματα σὺν ξανθαῖς Χάρισσιν. Videntur ibi victores ludorum gymnicorum plerumque coronas suspendisse Aeaco dedicatas cf. N. 6, 19. N. 8, 13. et Dissen. l. l. p. 474. ad h. l. disputata cf. p. 14. cf. Müller. Aginet. p. 161. Prope Minyae sepulcrum a Pausania memoratum 9, 38, 3, ludi funebres videntur fuisse, e quibus Herodotus victoriam dicitur reportasse I. 1, 56. Victores autem illud sepulcrum quoque honorasse ex Graecorum sententia liquet.

In urbe Phylace prope sinum Pagasaeum sita Protesilaus rex, qui primus olim ad Trojam occubuerat Il. 2, 695—702, sepulcrum habebat ἐν τεμένει situm et consecratus ei erat ἀγὼν ἐπιτάφιος haud dubie prope sepulcrum celebratus I. 1, 58 sq.: Πρωτεσίλα, τὸ τεὸν δ'ἀνδρῶν Ἀχαιῶν ἐν Φυλάκᾳ τέμενος συμβάλλομαι.

Batti quoque memoratur sepulcrum P. 5, 93 sq. qui in extremo foro sepultus dicitur esse seorsim a ceteris regibus sanctis heroicis honoribus cultus. κτίσται enim in foro humari solebant, ut discimus ex Schol. ad O. 1, 149 p. 43.: οἱ γὰρ οἰκισταὶ ἐν μέσαις ταῖς πόλεσιν ἐθάπτοντο ἐξ ἔθους. Cultum esse heroem ad illud sepulcrum ex toto carminis loco apparet cf. P. 5, 93 sq. Idem statuendum est de ceteris regibus sanctis, qui pro domi-

bus sepulcra nacti sunt v. 96 ἄτερθε δὲ πρὸ δωμάτων ἕτεροι λαχόντες αΐδαν βασιλέες ἱεροὶ ἐντί.

Quo in loco quum πρὸ δωμάτων opponatur foro, de via sane cogitandum est, in qua ceterorum regum sepulcra fuissent; ac suspicatur Boeckhius p. 292 sepulcra in via aliqua conspicua urbis fuisse, fortasse ante regias sedes ipsas. Batti sacrum sepulcrum est quod memorat Catull. 6, 6.

De sepulcris quoque cogitandum est, ubi Cyrenenses dicuntur P. 5, 83 sq. Antenoridas Trojanos simul cum Helena sacrificiis studiose excipere adeuntes illos cum donis. Antenoridas autem cum Menelao et Helena in Cyrenaicam venisse et Antenoridarum collem sic dictum occupasse docet Schol. ad h. l. 108 p. 384 duce Lysimacho: Et profecto Antenoridas Cyrenis ut indigenas heroas cultos esse docent ipsa verba P. 5, 83 sq. ἔχοντι τὰν χαλκοχάρμαι ξένοι Τρῶες Ἀντανορίδαι. Quid enim aliud verbum „ἔχοντι“ sibi vult, quam ut Cyrenenses doceantur per temporis decursum illos Antenoridas eximie coluisse, cf. N. 4, 48: Αἴας Σαλαμῖν' ἔχει πατρῴαν· cf. infr. p. 30. Simul apparet, ut jam monuimus, Antenoridas ibi sepultos esse ex Cyrenensium sententia, quae summa laus esse putabatur, quum coloniae vulgo non alios heroas haberent, quam quorum cultum e patria adduxissent cf. Dissen l. l. p. 266.

In carm. Pyth. 11, 31 memoratur Agamemnonem et Cassandram mortuos esse Amyclis, quae urbs fuit regni Pelopidarum caput; unde et ipse Orestes nominatur Amyclaeus v. 16. Atque hoc congruit cum quodam Pausaniae loco 2, 16, 5 ubi de Mycenis locutus, Amyclaeos narrat contendere monumentum Cassandrae in sua urbe esse verum: τοῦ μὲν δὴ Κασσάνδρας μνήματος ἀμφισβητοῦσι Λακεδαιμονίων οἱ περὶ Ἀμύκλας οἰκοῦντες, et 3, 19, 5 idem Pausanias haec habet: Ἀμύκλαι δὲ ἀνάστατος ὑπὸ Δωριέων γενομένη καὶ ἀπ' ἐκείνου κώμη διαμένουσα θέας παρείχετο ἄξιον ἱερὸν Ἀλεξάνδρας καὶ ἄγαλμα τὴν δὲ Ἀλεξάνδραν οἱ Ἀμυκλαιεῖς Κασσάνδραν τὴν Πριάμου φασὶν εἶναι. καὶ Κλυταιμνήστρας ἐστὶν ἐνταῦθα εἰκὼν καὶ Ἀγαμέμνονες νομιζόμερον μνῆμα. Et profecto ipsis Amyclis Pelopidarum gens ferebatur regnasse ex domestica loci traditione a Stesichoro et Simonide suscepta cf. Müller. Dor. II. p. 92, quam Pindarus secutus est illis temporibus vulgatiorem. Quare non assentior

Dissenio, qui probabilem posuit explicationem, cur Amyclis et in Laconica, non Mycenis Agamemnonis domum poeta significasset regnare vide ipsum l. l. p. 348 fin.

In illis tumulis interdum cippus — Grabsäule, Leichenstein — videtur impositus fuisse. In carmine igitur Nem. 10, 66 sq. Apharetidae dicuntur fugere ad patris sepulcrum ubi recepto cippo ipsius tumuli pugnam adversus Tyndaridas sustinent. v. 67 sq. ἔνθεν ἁρπάξαντες ἄγαλμ' Ἀΐδα, ξεστὸν, πέτρον, ἔμβαλον στέρνῳ Πολυδεύκεος. ἄγαλμ' Ἀΐδα hic dicit στήλην s. cippum tumulo impositum. Ceterum vid. Dissen. qui in B. edit. P. uberrime de toto hoc loco disputavit. Illud Apharei μνῆμα apud Spartanos fuisse memorat Pausan. 3, 11, 8 ἔστι δὲ καὶ ... τὰ ἀρχαῖα καλούμενα Ἐφορεῖα, ἐν δὲ αὐτοῖς Ἐπιμενίδου τοῦ Κρητὸς μνῆμα καὶ Ἀφαρέως τοῦ Περιήρους, quum idem 3, 13, 1 filiorum sepulcra in Messenia fuisse contendat: δείκνυται δὲ πρὸς τῇ Σκιάδι (sc. Spartae) καὶ Ἴδα καὶ Λυγκέως τάφος. κατὰ μὲν δὴ τοῦ λόγου τὸ εἰκὸς ἐτάφησαν ἐν τῇ Μεσσηνίᾳ καὶ οὐ ταύτῃ.

Illa porro ara Ajacis, qui Oilei filius erat heros Opuntiorum domesticus, necesse est prope herois sepulcrum fuerit; hanc aram Epharmostus Opuntius dicitur coronare Olympia redux, quum moris videatur fuisse ut victores die Ajacis festo aram hujus herois indigetis cingerent coronis O. 9, 112. Αἰαντέων ἐν δαῖθ' ὃς Ἰλιάδα νικῶν ἐπεστεφάνωσε βωμόν. Boeckhius l. l. p. 195 fin. de hoc loco haec habet: „nempe solemnis haud dubie commissatio ad aram Ajacis habita est, in qua ara ipsa coronata: post illum ritum Pindaro praedictum carmen in convivio cantatur.“ Scholia vero illa poetae verba ideo addita esse censent, quod Epharmostus in Aeanteis vicerit, ad v. 166. p. 231: Αἰάντειον βωμὸν ἔστεφε νικῶν ἐν δαιτὶ, τουτέστιν ἐν τῷ ἀγῶνι τοῦ Ὀϊλέως παιδὸς et ibid. ὡς τὰ ἐν Ὀποῦντι Αἰάντεια νενικηκότος καὶ ἐστεφανωκότος τὸν Αἴαντος βωμὸν, ἄγεται δὲ ταῦτα τῷ Λοκρῷ Αἴαντι ἐν Ὀποῦντι. Quam sententiam secutus est Rauchensteinius; Boeckhius autem non verisimile esse docet post enumeratas supra Epharmosti victorias nunc de hac victoria ab illo in Aeanteis aliquando reportata dici l. l. p. 195. fin.

Illam vero quae coronetur aram in τεμένει sitam esse per se liquet.

In hoc loco heroibus consecrato — dico emin ἱερὸν ἄλσος —

saepius non vera heroum sepulcra, sed cenotaphia erant, quae exstruebantur, quum heroes aut peregre profecti mortui essent, aut ab aliis civitatibus vindicarentur. Grotefendus l. l. p. 416 de illa re haec habet: „Nach dem Grundbegriffe eines Todtendienstes enthielt der dem Heros geweihte Raum, ἱερὸν ἄλσος, statt des wirklichen Grabhügels oft ein blosses Kenotaphion, mit der ἐσχάρα daneben, die weder von Steinen erbaut war, wie die erhöhtem Altäre für die himmlischen Götter, noch eine blosse Grube mit darüber gelegtem Flechtwerk enthielt, worauf man den unterirdischen Göttern Opfer brachte, sondern eine der Erde gleiche Feuerstätte mit einer niedrigen Ara“.

Quum enim in peregrina terra vel in mari aliquis mortuus esset, ἀνάκλησις animae fiebat inde ab antiquissimo tempore apud Graecos obvia. De illa re Dissenius ad P. 4, 159 p. 235 disputat Eustathii (ad Odyss. 9. pag. 1, 614 extr.) explicatione nixus. Circa cenotaphium exstructum anima revocata et deducta putabatur versari et ipsa inferiis celebrata. De anima sic ad patriam revocanda et deducenda apud Pindarum habes P. 4, 159 ubi dii inferi Aeolidis dicuntur irati esse: ad illos placandos Pelias, quum Phrixi animam debeat κομίσαι, Jasonem jubet eam reducere simul cum vellere aureo. Dissen. quidem l. l. ἀνάκλησιν hic intelligendam esse docet, quum ψυχαγωγία proprie sit evocatio animae ex Orco.

Sic Protesilai quoque sepulcrum necesse est κενοτάφιον fuerit, quum ille ad Trojam interfectus sit. cf p. 28.

Illud κενοτάφιον — id quod jam supra monuimus — etiam alias exstruebatur, quum civitas aliqua peregrinos heroas vindicasset suos. Hermannus antiqq. scr. §. 16. 11. de illa re haec habet: „Der Kultus galt wesentlich den Todten, und selbst wenn er in andere Gegenden verpflanzt ward, musste er sich aufs Neue an symbolisch fingirte Grabstätten anknüpfen, welche dann gewöhnlich ein passender Mythus motivirte“. Exstat quidam Pausaniae locus, qui illam rem illustret 6, 23, 2, ubi ille de Elide locutus κενὸν Achillis μνῆμα memorat oraculi jussu exstructum. Sed praestat ipsius verba ponere: Ἀχιλλεῖ δὲ οὐ βωμὸς, κενὸν δέ ἐστιν αὐτῷ μνῆμα ἐκ μαντείας τῆς πανηγύρεως δὲ ἀρχομένης ἐν ἡμέρᾳ ῥητῇ περὶ ἀποκλίνοντα ἐς δυσμὰς

τοῦ ἡλίου τὸν δρόμον αἱ γυναῖκες αἱ Ἠλεῖαι ἄλλα τε τοῦ Ἀχιλλέως δρῶσιν ἐς τιμὴν καὶ κόπτεσθαι νομίζουσιν αὐτόν.

Hinc profecto factum est, ut complures interdum civitates eundem quaeque heroem vindicarent, ejusque sepulcrum in sua potissimum urbe contenderent esse verum. Quod jam Pindari temporibus factum esse censeo: Agamemnonem enim ejusque domum — ut hoc utar exemplo — antiquissima traditio ad Mycenas revocabat cf. Il. 7, 180 ἢ αὐτὸν βασιλῆα πολυχρύσοιο Μυκήνης! i. e. Agamemnonem, quum Pindarus Amyclis eum narret sepultum esse cf. p. 11. sq.

Transeamus jam ad eos poetae locos, ubi sola heroum τεμένη memorantur aut τεμένη cum sacellis conjuncta.

Ex carm. Nem. 7, 86—94 variis interpretum opinionibus mirifice vexato clarissime apparet, Herculem Aeginae duo sacella habuisse ἐν τεμένεσσι v. 94 sita. Inter illa sacella, ut arbitror, separata Sogenes victor domum suam dicitur habere τετραόροισιν ὧδ' ἁρμάτων ζυγοῖς v. 93.

Marathone quoque fuit Herculis τέμενος de quo Herodot. 6, 10, 8. Celebrata sunt ibi Heraclea Marathonia a poeta memorata O. 9, 89. Et ipsis Thebis verisimile est Herculis sacellum fuisse cf. N. 4, 23. sq. κατέδραμεν (Timasarchus) Ἡρακλέος ὀλβίαν πρὸς αὐλὰν quamvis fatendum sit nos accuratiora nescire, quid sit ὀλβία αὐλὰ Ἡρακλέος. Müller. quidem Dor. 1, p. 430 de Amphitryonis domo cogitavit, ante portas Electras sita, ubi etiam Herculis olim habitaverit.

Tyndaridas quoque, quibus aliquis Olympiae pars erat, in ipso campo sacro probabile est templum habuisse, quum Hercules eos instituisset certaminum praesides. O. 3, 36 sq. Et aram quidem Olympiae habuisse Dioscuros prope hippodromum sitam docet Paus. 5, 15, 4.

Amphiarao quoque templum fuisse, ex quo oracula edidisset, ex ipso Pindaro apparet. Heros ibi de Epigonis patrum virtutes referentibus dicitur vaticinatus esse P. 8, 39 sq. Et Dissenius quidem illud Potniis fuisse prope Thebas suspicatur, quum Amphiaraium Thebis quoque fuisse ex Herodoto 8, 134 appareat. Et profecto Amphiaraus fuit daemon subterraneus e terra vaticinatus; quid igitur ex Graecorum sententia probabilius videtur esse, quam heroem in illo ipso loco, ubi descen-

disset, sub terra versatum oracula edidisse. Boeckhius quidem l. l. p. 213 sq. quod Pausanias de Potniis locutus, Amphiaraium ibi fuisse non memorat, oraculum prope Oropum celeberrimum contendit hic intelligendum esse. Pausanias vero non nisi rudera Potniarum se vidisse narrat 9, 8, 1: Διαβεβηκότι δὲ ἤδη τὸν Ἀσωπὸν καὶ τῆς πόλεως δέκα μάλιστα ἀφεστηκότι σταδίους Ποτνιῶν ἐστὶν ἐρείπια καὶ ἐν αὐτοῖς ἄλσος Δήμητρος καὶ Κόρης. Idem Pausanias 9, 8, 2 haec habet: ἐκ δὲ τῶν Ποτνιῶν ἰοῦσιν ἐς Θήβας ἔστιν ἐν δεξιᾷ περίβολος τῆς ὁδοῦ οὐμέγας καὶ κίονες ἐν αὐτῷ· διαστῆναι δὲ Ἀμφιαράῳ τὴν γῆν ταύτῃ νομίζουσιν, ἐπιλέγοντες καὶ τάδε ἔτι, μήτε ὄρνιθας ἐπὶ τῶν κιόνων καθέζεσθαι τούτων, μήτε πόαν τὴν ἐνταῦθα μήτε ἥμερον ζῷον μήτε τῶν ἀγρίων νέμεσθαι. Potuit igitur in illo περιβόλῳ oraculum Amphiarai Pindari tempore haberi, quod nescio an desierit procedente tempore, ut alia multa cf. Plutarch de oracul. Defect, c. 5. Oropium vero Amphiarai oraculum serius conditum videtur fuisse, quum ad Thebas heroem terra haustum fuisse antiquissima traditio sit. Postea autem, quum illud Oropium exstitisset celeberrimum, similiter Amphiaraus in illo loco dicebatur terra haustus esse: Pausan. 1, 34, 2: ἀπέχει δὲ δώδεκα τῆς πόλεως σταδίους μάλιστα ἱερὸν τοῦ Ἀμφιαράου. 2. λέγεται δὲ Ἀμφιαράῳ φεύγοντι ἐκ Θηβῶν διαστῆναι τὴν γῆν, καὶ ὡς αὐτὸν ὁμοῦ καὶ τὸ ἅρμα ὑπεδέξατο. πλὴν οὐ ταύτῃ συμβῆναί φασιν, ἀλλά ἐστιν ἐκ Θηβῶν ἰοῦσιν ἐς Χαλκίδα Ἅρμα καλούμενον. Θεὸν δὲ Ἀμφιάραον πρώτοις Ὠρωπίοις κατέστη νομίζειν. Idem Amphiaraium Argis fuisse memorat Pausan. 2, 23, 2: τοῦ Διονύσου δὲ ἐγγυτάτω οἰκίαν ὄψει Ἀδράστου, καὶ ἀπωτέρω ταύτης ἱερὸν Ἀμφιαράου.... γενομένης δὲ τῆς τροπῆς ἀπὸ τοῦ Θηβαίων τείχους, χάσμα γῆς Ἀμφιάραον καὶ τὸ ἅρμα ὑποδεξάμενον ἠφάνισεν ὁμοῦ καὶ τοῦτον τὸν Βάτωνα.

Simili modo censeo Alcmaeonem Thebis sacellum habuisse prope domum poetae situm, P. 8, 58 γείτων ὅτι μοι καὶ κτεάνων φύλαξ ἐμῶν ὑπάντασεν κ. τ. λ. Ex illo poetae Delphos proficiscenti vel profecturo oblatus victoriam Aristomenis Aeginetae videtur praedixisse.

Alia heroici cultus ratio in precatione posita est solemni.

Certatores igitur necesse est ponamus ante ludos preces fecisse solemnes ad heroas gentilicios vel publicos et vota nun-

cupasse pro victoria concedenda. Ac sacrificia quidem oblata esse per se liquet a certatoribus, qui certamen subituri heroas studerent sibi propitios reddere cf. p. 17. Memorabilis in hoc genere locus est P. 9, 86 sq. ubi ipse poeta pro Telesicrate Cyrenensi ad Iphiclem et Herculem vota videtur fecisse, quae in ipso carmine solvit solemnia v. 87—89: κωφὸς ἀνήρ τις ὃς Ηρακλεῖ στόμα μὴ παραβάλλει, μηδὲ Διρκαίων ὑδάτων ἀὲ μέμναται, τά νιν θρέψαντο καὶ Ἰφικλέα· τοῖσι τέλειον ἐπ' εὐχᾷ κωμάσομαί τι παθὼν ἐσθλόν. Quae verba τοῖσι τέλειον sequentia explicanda sunt: „eos nunc canam ob beneficium modo ex voto perfectum et praestitum" et Boeckhius l. l. p. 327 docet hic singularem, quae poetae contigissit, felicitatem intelligendam esse. Welckerus p. 204 de illo loco disputans haec habet: „Pindar hatte, wie es scheint, dem Jolaus und Herkules sammt dem Iphikles ein Gelübde für den Telesikrates gethan, das er nun in diesem κῶμος selbst durch das Angeführte augenblicklich löst. Die Worte wären demnach zu verbinden: τοῖσιν, ἐσθλόντι ἐπ' εὐχᾷ παθών, κωμάσομαι, worauf der Dichter unmittelbar und abgebrochen, wie oftmals, die früheren Siege lobt." cf. Rauchenstein: „zur Einleitung in Pindar's Siegeslieder" p. 136: „Pindar hatte zu den Kampfheroen Herakles und Iphikles für den Sieger ein Gelübde gethan, welches erfüllt wurde. Daher muss er dieser Heroen im Liede gedenken. Originell ist nun, wie er auf mehren Sentenzen wie auf Stufen zu ihrer Erwähnung gelangt".

Eodem modo victores liquet post reportatam victoriam heroibus gratias egisse precatione, quum sacrificia atque coronas dedicatas heroibus esse ex nonnullis Pindari locis appareat. De Aeanteis igitur Opuntiis Scholia ad O. 9, 166 p. 230 fin. et 231 init. haec habent: ὅστις ἀνὴρ καὶ ἐν τῇ τοῦ Αἴαντος τοῦ Ὀϊλέως παιδὸς πανηγύρει καὶ ἐν τῷ ἐπωνύμῳ αὐτοῦ ἀγῶνι νικήσας θυσίαις καὶ στέμμασι τὸν Αἰάντειον βωμὸν κατεκόσμησεν, τὰ Αἰάντεια δὲ ἐν Ὀποῦντι ἄγεται, ἃ νικήσας ἐστεφάνωσε τὸν Αἰάντειον βωμὸν ἐν πανηγύρει.

Ut in unum locum conferam, quae jam supra exposui singillatim, consecratas esse coronas docent carmina O. 9, 112 N. 5, 53. I. 3, 80. P. 12, 5. O. 5, 3. N. 6, 19.

Huc refero etiam carm. Pyth. 11, 13, ubi Thrasydaeus Thebanus tertiam jam coronam dicitur in paterna ara posuisse, quae gentis putabatur esse. Ut enim civitatis focus in arae formam redactus in prytaneis erat, ubi publica convivia fiebant, ita etiam in privatis domibus sacrum quoddam putant coenaculum fuisse, ubi gentes sua quaeque convivia agerent et focus erat toti genti sacer. Quod autem victor coronam e sacris ludis reportatam in gentis ara dicitur ponere, hanc toti genti dedicat vel heroibus gentis. Sic Trasydaeum quoque, quem originem a prisca Cadmeorum gente vidimus repetiisse coronam suam toti genti et simul heroibus dedicasse censeo.

In carmine porro Nem. 8, 15 sq. de corona videtur cogitandum esse Aeaco dedicata. cf. Dissen. in B. ed. P. p. 443. Atque ipsam, quae victoriam celebraret pompam ad sepulcrum vel aram vel sacellum ductam esse, quum victor coronam dedicaret, Dissenius et Boeckhius plurimis in locis docuerunt. Sacrificia vero memorantur O. 1, 90. O. 7, 80. I. 3, 80 sq. I. 4, 30 sq.

Ut ad precationem revertamur, poeta ipse in carm. Ol. 3, init. quum victoriam Theronis maxime Dioscuris deberi significet atque Herculi v. 38 sq. gratias acturus Dioscuris v. 1. sq. pro hac ipsa victoria, precor, ait, ut Castoribus et Helenae sorori placeam Theronis Olympicam celebrans victoriam. Consecratur igitur gratiarum causa carmen ipsum Tyndaridis et Helenae. Simili modo poeta gratias acturus pro victoria concessa Aeaco N. 8, 14 sq. φέρει Λυδίαν μίτραν καναχηδὰ πεποικιλμέναν Δείνιος δισσῶν σταδίων καὶ πατρὸς Μέγα Νεμεαῖον ἄγαλμα.

Adibant vero heroas in universum pro salute vel civium vel civitatum precaturi. Quo in genere maxime de heroibus publicis et de heroinis urbium cogitandum esse res ipsa docet. Talis supplicatio herois publici pro salute urbis et civium solemnis exstat N. 8, 13 sq. ubi ipse poeta conversus ad Aeacum preces facit pro Aeginetis et urbe eorum solemnes ἱκέτας Αἰακοῦ σεμνῶν γονάτων πόλιός θ' ὑπὲρ φίλας ἀστῶν θ' ὑπὲρ τῶν δ' ἅπτομαι φέρων Λυδίαν μίτραν etc. Suspicatur Dissenius l. l. p. 469 hoc carmen scriptum esse Ol. 80³/₄, quo tempore post pugnam Cecryphaliam pararetur ab Atheniensibus ista Aeginae oppu-

gnatio, cui etiam succubuisset insula. Hinc quam poeta fecisset pro insulae salute supplicationem exortam esse solemnem.

Atque Aeginam precatur heroinam, ut cum Jove et Aeaco ejusque filiis hanc urbem libero deducat cursu P. 8, 97 sq. Αἴγινα, φίλα μᾶτερ, ἐλευθέρῳ στόλῳ πόλιν τάνδε κόμιζε. Δὶ καὶ κρέοντι σὺν Αἰακῷ Πηλεῖ τε κἀγαθῷ Τελαμῶνι σύν τ' Ἀχιλλεῖ. Invocatur autem tota Aeacidarum gens; quo apparet loco, quanta fuerint vel filii Aeaci apud Aeginetas auctoritate cf. praeterea p. 31.

Heroinam porro Agrigenti precatur poeta, ut Midae coronam Pythiam ipsumque victorem propitio excipiat animo P. 12, 1—5. Simili modo Camarinam heroinam invocat, ut Psaumidem benigne excipiat dona praebentem, O. 5, 3: δέκευ Ψαύμιός τε δῶρα.

Alia porro cultus heroici ratio in eo versatur, ut heroes eorumque facinora celebrentur cantibus publice aut privatim instituendis.

Ac primum de communi quae civium cantu contineatur heroum celebratione agemus. Compositus erat inde ab antiquissimis temporibus nobilis in Castorem hymnus, Castoreum vocatus, qui — ut ex carm. I. 1, 16—32 apparet — Castorem equitem et aurigam celeberrimum celebrabat. Idem vero rhythmo anapaestico et Doria harmonia compositus, canebatur a Spartanis ad tibiam, quum hostium exercitum aggrederentur. Tyndaridae enim duces Spartanorum divini putabantur esse cf. Müller Dor. 1, p. 335. Et Pindarus ipse ipse hoc nobili nomo bis usus in altero loco P. 2, 69 τὸ Καστόρειον videtur totum hoc carmen vocare Hieroni missum, quo illius equestria studia celebret atque laudem bellicam ad illum antiquum nomum comparatam. cf. Boeckhium, l. l. p. 249 fin. In altero loco I. 1, 16 Herodotum Thebanum, qui sua manu rexerit currum v. 15 Castoreo vel Jolai hymno dicit se celebraturum esse. Quum enim Jolaus aeque ac Castor re equestri inclaruisset, in hunc quoque heroem videmus νόμον ἵππιον compositum fuisse, quem eosdem fere rhythmos et modos probabile est habuisse atque Castoreum. Quamobrem hoc alterum quoque carmen (I. 1.) censeo Castoreum a poeta appellatum esse

vel Jolai hymnum, qui nonnullis victoribus dedicabatur summum eximiae virtutis praemium.

Fuit porro hymnus nobilis in Herculem Callinicum, ab Archilocho compositus O. 9, 1 sq.: τὸ μὲν Ἀρχιλόχου μέλος φωνᾶεν Ὀλυμπίᾳ καλλίνικος ὁ τριπλόος κεχλαδώς. Illius hymni duo hi versus exstant in Scholiis servati:

ὦ καλλίνικε χαῖρ' ἄναξ Ἡράκλεες
Αὐτός τε καὶ Ἰόλαος αἰχματὰ δύο

vid. Schol. ad. h. l. 1. p. 207 et 208.

Atque καλλίνικος fuit Hercules quum ex usu vulgato (κατ' ἐξοχὴν) tum maxime Olympiae quod ludos Olympicos solemniter instituisset ex pugna adversus Augeam ejusque socios Cteatum et Eurytum regressus victor: Ol. 11, 24—59. Docuerunt hujus hymni rationem Scholia ad h. l. et maxime Eratosthenes in Schol. p. 208. Ipse hymnus Callinicus dictus est atque triplex (ὁ τριπλόος κεχλαδώς) propter ter interpositum ephymnium καλλίνικε. Canebatur ad tibiam aut ad citharam, ubi autem aulici vel citharoedae deessent tum praefectus chori ad imitandum instrumentorum sonum Τήνελλα canebat, quum chorus succineret καλλίνικε, tali modo conjunctum illud Τήνελλα καλλίνικε exortum esse tradidit Eratosthenes l l. p. 208 περὶ δὲ τοῦ Τήνελλα Ἐρατοσθένης φησὶν ὅτι, ὅτε ὁ αὐλητὴς ἢ ὁ κιθαριστὴς μὴ παρῆν, ὁ ἔξαρχος αὐτὸ μεταλαβὼν ἔλεγεν ἔξω τοῦ μέλους, ὁ δὲ τῶν κωμαστῶν χόρος ἀπέβαλε τὸ καλλίνικε καὶ οὕτω συνειρόμενον γέγονε τὸ Τήνελλα καλλίνικε. Sufficiebat — monente Scholiasta p. 208 —, hic hymnus, si quos musicae operae defecissent: ἐπήρκεσε παραχρῆμα κατὰ τὴν Ὀλυμπίαν τοῦτο τὸ μέλος κωμάζοντι σὺν τοῖς ἑτέροις.

Canebatur autem vespere post reportatam victoriam, quum pompa duceretur ad Jovis aram in Alti sitam cf. de toto hoc loco Boeckhium l. l. p. 187.

Alios porro hymnos in heroum honorem jam Pindari temporibus compositos fuisse nemo est qui neget, quamvis quae hoc nomine supersunt Pindarica carmina diis scripta esse grammatici videantur contendere cf. Dissen. l. l. p. 609 et Boeckh. l. l. p. 559 et 560. Ceteris quoque carminum Pindaricorum generibus heroum fabulas tantum eodem quo epiniciis modo intextas fuisse Boeckhius ad singula genera videtur docere, cujus sequor auc-

toritatem. Quo autem modo heroes Pindari tempore in conviviis vel aliis diebus festis cantibus celebrati sint, ex carm. Pyth. 1, 93 sq. apparet. Ibi enim de gloria virtutis post mortem superstite locutus poeta haec addit v. 95. τὸν δὲ ταύρῳ χαλκέῳ καυτῆρα νηλέα νόον ἐχθρὰ Φάλαριν κατέχει παντᾶ φάτις, οὐδέ μιν φόρμιγγες ὑπωρόφιαι κοινωνίαν μαλθακὰν παίδων ὀάροισι δέκονται. Quum autem φόρμιγγες ὑπωρόφιαι (ὑπ' ὀροφήν) citharae sint in coenaculo (ἀνδρῶνι), de commissationibus cogitandum est cum cantu junctis. In conviviis igitur qualia sunt epinicia nuptialia, chorus aderat praesertim juvenum, qui praeter deorum laudem etiam heroas celebrabat ad citharam canens.

Quod ante omnia in encomiis factum esse censeo, quae carmina ἐν κώμῳ s. in commissatione cantata hominum potissimum laudes amplexa sunt. Quum victores, nt his utar, celebrati essent, quid mirum, si ad alios quoque cantus ventum sit, in quibus heroes canerentur victorum majores vel exempla.

Idem statuendum est de scoliis, quae constat in conviviis cantata esse ad citharam cf. Dissen. l. l. p. 639. Canebantur vero victoriae ludicrae aliaeque res gestae; et argumentum scoliorum in universum jucundum erat atque laetum; fabulas tamen exploratum est in his quoque carminibus tractatas esse, quales quidem huic generi convenirent; sic juvenum chorum apparebit in scoliis quoque saepius in heroum laude versatum esse, sicut omnino per totam Graeciam ἡρώων ἀγαθοὶ πολεμισταὶ λόγον ἐκέρδανον, κλέονται δ' ἔντε φορμίγγεσσιν ἐν αὐλῶντε παμφώνοις ὁμοκλαῖς μύριον χρόνον: I. 4, 26 sqq.

Oenidae igitur, jubente Jove, canuntur ab Aetolis σεβιζόμενοι θυσίαισι φαενναῖς I. 4, 29 sq. Nec Dissenio assentior, qui „intelligenda“ ait „poetarum lyricorum carmina quotquot heroum res gestas attingebant qualia etiam haec Pindari carmina sunt“. In B. ed. P. p. 517.

Poetas quidem in carminibus suis heroas attigisse per se lipuet et verba v. 28 μελέταν δὲ σοφισταῖς Διὸς ἕκατι πρόσβαλον clarissime docent, hic autem poeta cantus videtur intelligere in solemni heroum laude versatos: Canuntur porro sub cithararum tibiarumque strepitu (ἐν φορμίγγεσσιν ἐν αὐλῶν τε παμφώνοις ὁμοκλαῖς v. 27) ab Thebanis Jolaus v. 32, ab Argivis Perseus v. 33, Tyndaridae ad Eurotam v. 33, in Aegina de-

nique Aeacus ejusque filii v. 34 sq. quamvis hos omnes non nisi eximie coli poeta memoret, tamen quae bis attuli verba v. 27 hic quoque censeo supplenda esse.

Nec aliter de carmine Pyth. 2, 15 sq. judicandum est, ubi haec legimus v. 15 κελαδέοντι μὲν ἀμφὶ Κινύραν πολλάκις φᾶμαι Κυπρίων, τὸν ὁ χρυσοχαῖτα προφρόνως ἐφίλησ' Ἀπόλλων, ἱερέα κτίλον Ἀφροδίτας· ἄγει δὲ χάρις φίλων ποίνιμος ἀντὶ ἔργων ὀπιζομένα. Ex toto enim carminis loco apparet etiam Cinyram a Cypriorum choro saepe celebratum esse, nam homines — ut addit poeta — ad canendum provocat gratia pro meritis habenda.

Docent idem quae sequuntur verba v. 18 sq. ubi Hiero dicitur a Locrensibus virginibus metu liberatis cani πρὸ δόμων: σὲ δ', ὦ Δεινομένειε παῖ, Ζεφυρία πρὸ δόμων Λοκρὶς παρθένος ἀπύει, πολεμίων καμάτων ἐξ ἀμαχάνων διὰ τεὰν δύναμιν δρακεῖσ' ἀσφαλές. „Πρὸδόμων" ait Boeckh. l. l. p. 244 prope med., „aut in viis locisque publicis, ubi virgines Parthenia canant et choreas agant aut pro foribus, ubi sedentes puellae vespertinis sese cantilenis oblectent, quod illi aetati et moribus Locrensium non male convenit incorruptis". Num quae Hieroni homini fierent laudes publicae, Cinyram heroem credamus defecisse, sacrum Veneris sacerdotem et Apollinis delicias?

Supra autem quod posui, heroas privatim quoque solitos esse cani, de heroum laudibus cogitavi, quae praesertim a poetis propagantur per carmina dispersae. Quantum vel huic laudi tribuerit Pindarus, nonnulli eximii carminum loci probant, qui accuratius inspiciantur digni.

In encomio igitur quarto postquam bonis viris convenire locutus est, carminibus celebrari pulcherrimis, cantum docet ad immortales honores proxime accedere solum πρέπει δ' ἐσθλοῖσιν ὑμνεῖσθαι καλλίσταις ἀοιδαῖς· τοῦτο γὰρ ἀθανάτοις τιμαῖς ποτιψαύει μόνον· θνάσκει δ' ἐπιλασθὲν καλὸν ἔργον, cf. J. 3, 7 sq., εὐκλέων δ' ἔργων ἄποινα χρὴ μὲν ὑμνῆσαι τὸν ἐσλόν, χρὴ δὲ κωμάζοντ' ἀγαναῖς χαρίτεσσι βαστάσαι.

Cf. O. 11, 91 sqq. P. 3, 114: ἁ δ' ἀρετὰ κλειναῖς ἀοιδαῖς χρονία τελέθει cf. N. 4, 1—8.

N. 7, 11—16. 63. J. 3, 59 sq. N. 8, 46 sq. 50. N. 9, 7. 49 sq. J. 1, 50 sq. J. 3, 7 sq. J. 4, 12 sq. P. 5, 45 sq. P. 6, 6—14.

N. 4, 82—85. N. 9, 46 sq. J. 2, 34. J. 6, 18. N. 8, 40 sq. N. 6, 33: ἀποιχομένων γὰρ ἀνέρων ἀοιδοὶ καὶ λόγοι τὰ καλά σφιν ἔργ'ἐκόμισαν.

O. 10, 4 sq. μελιγάρυες ὕμνοι ὑστέρων ἀρχαὶ λόγων τέλλεται καὶ πιστὸν ὅρκιον μεγάλαις ἀρεταῖς. Vocat illas laudes heroum a poetis servatas μαρτύρια φθιμένων J. 3, 28. Et profecto ἐπικώμιος ὕμνος δὴ πάλαι καὶ πρὶν γενέσθαι τὰν 'Αδράστου τάν τε Καδμείων ἔριν. Quamobrem Νέστορα καὶ Λύκιον Σαρπηδόν', ἀνθρώπων φάτις, ἐξ ἐπέων κελαδεννῶν, τέκτονες οἷα σοφοὶ ἅρμοσαν γιγνώσκομεν P. 3, 112 sqq. Sic Achillis quoque laudes ad posteros propagatae sunt, quod eum οὔτε θανόντ' ἀοιδαὶ ἔλιπον J, 7, 56. Summam vero in hoc genere auctoritatem Homero tribuit poeta, qui virtutes heroum futuris poetis indicaverit ad auctoritatem et normam carminum suorum canendas. Illius verbum ἀθάνατον φωνᾶεν ἕρπει, εἴ τις εὖ εἴπῃ τι καὶ πάγκαρπον ἐπὶ χθόνα καὶ διὰ πόντον βέβακεν ἐργμάτων ἀκτὶς καλῶν ἄσβεστος αἰεί J. 3, 55 sqq. cf. N. 7, 20 sqq.

Et poeta ipse Alcmaeonem coronis ornat et carmine celebrat P. 8, 57.

De Hercule locutus, hujus herois, inquit, lubens recordor excitans singularium illius virtutum laudem N. 1, 33 sq.: ἐγὼ δ' Ἡρακλέος ἀντέχομαι προφρόνως, ἐν κορυφαῖς ἀρετᾶν μεγάλαις ἀρχαῖον ὀτρύνων λόγον. Eundem atque Iphiclem celebrat παθὼν ἐσλόν P. 9, 89. In eodem carmine v. 87 sq. stultos vocat eos, qui Herculem non canant neve recordentur Dircaei fontis, qui eum aluerit cum Iphicle fratre. Celebraturus porro Chromii victoriam e Pythiis Sicyoniis reportatam, Adrastum inclitis honoribus exornaturum se dicit qui illos ludos instituerit Apollini sacros et Sicyonem urbem reddiderit claram N. 9, 9 sqq. ὧν ἐγὼ μνασθεὶς ἐπασκήσω κλυταῖς ἥρωα τιμαῖς. De Aeacidis porro locutus haec habet J. 5, 19 sqq.: ὔμμε τ' ὦ χρυσάρματοι Αἰακίδαι, τέθμιόν μοι φαμὶ σαφέστατον ἔμμεν τάνδ' ἐπιστείχοντα νᾶσον ῥαινέμεν εὐλογίαις. De iisdem J. 4, 19 sq.: τὸ δ'ἐμὸν οὐκ ἄτερ Αἰακιδᾶν κέαρ ὕμνων γεύεται et N. 6, 51 sq.: πλατεῖαι πάντοθεν λογίοισιν ἐντὶ πρόσοδοι νᾶσον εὐκλέα τάνδε κοσμεῖν· ἐπεί σφιν Αἰακίδαι ἔπορον ἔξοχον αἶσαν ἀρετὰς ἀποδεικνύμενοι μεγάλας.

Adde praeterea quae per omnia fere carmina dispersae sunt heroum priscorum laudes aut data opera aut breviter tractatas.

Colebantur porro heroes certis diebus festis, ubi lectisternia (ξείνιαι τράπεζαι) iis parabantur solemnia.

Tales epulae sacrae Agrigenti celebrabantur Dioscuris consecratae. Ipsa solemnia Scholiastae Theoxenia appellant. Theoxenia proprie sic dicta deorum uni vel alteri dedicata erant; quatenus autem omnes dii in iis epulari putabantur, eatenus ad ceteros quoque deos pertinebant, unde Hesychius: θεοξένια κοινὴ ἑορτὴ πᾶσι τοῖς θεοῖς. Docuit haec clarissime Preller. ad Polemon. p. 67: „parabantur hoc festo epulae sacrae, quibus peculiariter uteretur is deus, cui templum aliquod et oppidum sacrum erat; sed accubabant etiam alii dii, qui ab illo tamquam invitabantur ejusque ξένοι erant.“ Ad praesentia ut redeamus, simili modo Dioscuris, qui maxime hospitales erant, lectisternia parata erant, quibus excepti ceteros deos putabantur excipere φιλόξεινοι.

Hic igitur Theoxeniis ornandis Boeckhius l. l. p. 135 suspicatur carmen Ol. 3 scriptum esse. Et ipse Hercules dicitur v. 34 cum Dioscuris ad illa solemnia venire et lectisterniis paratis frui. Disputans de hoc loco Boeckh. l. l. p. 135 init: „in eo festo“, ait, „victoriam Theronis celebratam esse, quae Dioscuris debeatur, v. 38 sq. videtur significari: neque tamen ἑορτὴν putaverim solemnia illius victoriae esse: sed ipsum illud, quod Hercules cum Dioscuris descendere ad illa solemnia dicitur, deos in illis praesentes repraesentatos esse mea sententia docet.“ Cultum vero Dioscurorum et Helenae publicum fuisse publicumque Dioscurium suspicatur Dissen. l. l. p. 43. Videntur tamen haec sacra Emmenidarum gentilicia fuisse, quum iidem dicantur deorum sacra religiose observantes Dioscuros ξεινίαις τραπέζαις i. e. lectisterniis colere v. 39 sq.: ὅτι πλείσταισι βροτῶν ξεινίαις αὐτοὺς ἐποίχονται τραπέζαις εὐσεβεῖ γνώμᾳ φυλάσσοντες μακάρων τελετάς.

Simili modo Herculi vel ejus liberis videntur Thebis epulae sacrae paratae fuisse, ut discimus ex carm. Isth. 3, 79 sqq. τῷ μὲν Ἀλεκτρᾶν ὕπερθεν δαῖτα πορσύνοντες ἀστοί. Epulum vero probabile est prope aras fuisse cum inferiis conjunctum, cf. Dissen. l. l. p. 559. Ajaci quoque tales epulae videntur paratae fuisse certo quodam die festo, cui conjuncti erant ludi in ejus honorem habiti vid. Ol. 9, 112 et Schol. qui πανήγυριν

καὶ ἐπώνυμον αὐτοῦ ἀγῶνα nominat. cf. praeterea p. 28. p. 16. Cadmi porro filiae Thebis videntur statis diebus cum Alcmaena vocatae esse ad lectisternia in templum Apollinis Ismenii, ut concludi potest ex carm. Pyth. 11 init. Melia autem, cur heroinas statis diebus convocet, obscurum est, nisi apud Meliam in templo Apollinis Ismenii illas epulas solemnes tum fuisse credamus; de statis enim temporibus cogitandum esse docent verba καὶ νῦν v. 7.

Diversa fuisse videntur heroum ξένια apud Delphos, de quibus legimus N. 7, 44 sq. ἐχρῆν δέ τιν' ἔνδον ἄλσει παλαιτάτῳ Αἰακιδᾶν κρεόντων τολοιπὸν ἔμμεναι θεοῦ παρ' εὐτειχέα δόμον, ἡρωΐαις δὲ πομπαῖς θεμισκόπον οἰκεῖν ἐόντα πολυθύτοις εὐώνυμον ἐς δίκαν. Scholiastes ad v. 68 p. 479 haec habet: γένεται ἐν Δελφοῖς ἥρωσι ξένια, ἐν οἷς δοκεῖ ὁ θεὸς ἐπὶ ξένια καλεῖν τοὺς ἥρωας. Ex ipso Pindaro colligi potest haec ξένια fuisse pompam solemnem multarum victimarum (v. 46 πομπαῖς πολυθύτοις) cui praeesse putabatur Neoptolemus. Videntur igitur illa solemnia heroibus consecrata esse a deo invitatis, addita — ut Scholiastes docet ad 62 p. 479 — post sacrificia facta libatione, λέγεται γάρ, ὅτι μετὰ τὸ θῦσαι ἐναγισμοὺς ἐπέσπενδον. Ac citabantur in his heroum πομπαῖς nomina heroum, quorum in honorem haec ξένια instituta erant Schol. ibid. ἐν αἷς ἐκήρυσσον τοὺς ἥρωας. Post pompam habebantur ludi, quod liquet e Pindari v. 49. ἔργματα enim certamina sunt in honorem eorum heroum instituta, quibus ξένια habebantur. Qui potissimum heroes fuerint illi Delphis culti, non satis perspicuum est. Dissenius quidem ex ipso poeta suspicatur clarum esse, illos fuisse, qui olim, quum viverent, Delphos venissent deum adoraturi; his igitur communi festo honorem habitum esse, qui summus putabatur esse propter insignem Delphici oraculi apud Graecos auctoritatem. Idem Dissenius monet in B. ed. P. p. 429 et 423, ne illae ἡρώϊαι πομπαὶ confundantur cum ἐναγισμοῖς Neoptolemo quotannis oblatis, neve cum illa θεωρίᾳ quam Aenianes quarto quoque anno Delphos mittebant Neoptolemi causa.

Similis heroici cultus ratio in libationibus posita est, quae heroibus plerumque fiebant in conviviis post mistum Jovi primum craterem oblatae, quod genus colendorum heroum jam

Pindari tempore usitatum fuisse docet prooemium carminis Isthm. 5, ubi postquam de Pytheae victoria Nemeaea locutus est δεύτερον κρατῆρα miscere vult Neptuno et Nereidibus. Solebant enim veteres in conviviis primum craterem Jovi miscere, alterum Terrae et Heroibus, tertium Jovi servatori et libantes ipsi diis vel heroibus pro se aliisve preces fecerunt cf. Schol. ad 10 p. 545: τὸν μὲν γὰρ πρῶτον Διὸς Ὀλυμπίου ἐκίρνασαν, τὸν δὲ δεύτερον ἡρώων, τὸν δὲ τρίτον Διὸς σωτῆρος, cf. de hac libatione duos carminum Homericorum locos qui hanc rem illustrent Od. 3, 55 sq. et Il. 7, 480 sq.: οἶνον δ' ἐκ δεπάων χαμάδις χέον, οὐδέ τις ἔτλη πρὶν πιέειν, πρὶν λεῖψαι ὑπερμενέϊ Κρονίωνι. Illos vero tres crateres in conviviis misceri solitos Pindarus comparat suavissime cum hymnis, qui victorias e sacris ludis reportatas celebrent. Primum Jovi mistum dicit hymnum qui victoriam Pytheae Nemeacam cecinerit cf. N. 5, alter nunc miscetur hymnus Isthmiacus propter victoriam a Phylacida fratre reportatam. Tertium precatur ut aliquando miscere liceat Jovi Olympio, si Pytheas vel Phylacidas Olympia redierit victor cf. Schol. ibid. εὔχεται δὲ τὸν τρίτον τῶν ᾠδῶν κρατῆρα κεράσαι νικήσαντος αὐτοῦ τὰ Ὀλύμπια.

Transeamus jam ad ludos in heroum honorem institutos, qui honor non nisi summis fiebat heroibus.

Athenis celebrabantur praeter Panathenaea, Ὀλυμπίεια Atheniensia, Eleusinia etiam ludi in Herculis honorem instituti, docente Scholiasta ad Ol. 7, 151 p. 180. Memorantur illi Atheniensium ludi tantum verbis ἐν Ἀθάναις O. 7, 82, ut ignoremus, quos dixerit poeta. Scholiastes quidem ibid. ἴσως δὲ καὶ πάντα ἐνίκησεν ὁ Διαγόρας. Habes eosdem Atticos ludos O. 9, 88. O. 13, 38. N. 2, 23. N. 4, 19. J. 2, 19. J. 3, 43. Nec tamen vel in his locis constat, qui nunc intelligendi sint ludi.

Thebis vero habebantur Jolaia s. Heraclea ad portas Proetides acta, ubi Jolai gymnasium erat atque stadium Paus. 9, 23, 1 cf. p. 8 sq. Proponebatur in iis tripus aheneus cf. Schol. ad O. 7, 154 p. 181 vide Boeckh. l. l. p. 175 fin et 176 init. uberius haec tractantem. Exstant apud Pindarum nonnulli qui huc pertinent loci O. 7, 84. O. 13, 107. N. 4, 19. O. 9, 99. Praeterea etiam curulia certamina habita esse in illis Jolaiis docet carmen J. 1, 55 sqq. Fuit enim Jolaus curruum peritia insignis

J. 4, 32 ἱπποσόας Ἰόλαος. Pausanias ipse hippodromum memorat prope stadium Jolai situm 9, 23, 2: ὑπερβάντι δὲ τοῦ σταδίου τὰ ἐν δεξιᾷ δρόμος ἵππων καὶ ἐν αὐτῷ Πινδάρου μνῆμά ἐστιν. Boeckhius igitur l. l. p. 242 sq. suspicatur quam poeta carm. Pyth. 2 celebrat victoriam ex his Jolaiis s. Heracleis reportatam esse in illo hippodromo, vide poetae verba ipsa v. 3 ὔμμιν (Συρακόσαις) τόδε τᾶν λιπαρᾶν ἀπὸ Θηβᾶν φέρων μέλος ἔρχομαι ἀγγελίαν τετραορίας ἐλελίχθονος, εὐάρματος Ἱέρων ἐν ᾇ κρατέων τηλαυγέσιν ἀνέδησεν Ὀρτυγίαν στεφάνοις.

Liberis porro Herculis instituti erant dies festi Thebis ad portas Electrides acti et ludi additi erant quibus secundus semper dies consecratus erat. Ac fuit praemium hujus certaminis corona myrtea, quum funebres ludi essent ad sepulcra habiti; myrtus enim mortuis sacra erat ut docet Schol. ad J. 3, 117 p. 538: μυρσίνῃ γὰρ στεφανοῦνται διὰ τὸ εἶναι τῶν νεκρῶν στέφος. Memorantur illi ludi J. 3, 85 sqq. καὶ δεύτερον ἆμαρ ἐτείων τέρμ' ἀέθλων γίγνεται, ἰσχύος ἔργον. ἔνθα λευκωθεὶς κάρα μύρτοις ὅδ' ἀνὴρ διπλόαν νίκαν ἀνεφάνατο.

A Boeotis porro celebrabantur praeter Erotidia, Eleutheria, Trophonia, Delia, Oropi Amphiaraïa in Amphiarai honorem habita vid. Schol. ad O. 7, 154 p. 181 cf. Boeckh. l. l. p. 176. In quibusnam quidem Boeotiorum ludorum vicerit Diagoras Rhodius non constat ex carmine O. 7, 85.

Aeginetarum ludi erant Delphinia, Heraea et quae Aeaco agebantur Aeacea.

De Delphiniis quidem cogitandum est: N. 5, 41. 45 et P. 8, 66; de Heraeis, quae Aeginetae Argis traduxerant: P. 8, 79 cf. Schol. ad h. l. In carminibus O. 9, 90. O. 7, 86 et J. 7, 65 ludi qui sint intelligendi non constat. In carm. autem Ol. 13, 109 intelligenda sunt Aeacea, quae memorat Scholiastes. Et ipsam, quam poeta in fr. Isthm. no. 4 celebrat victoriam suspicatur Dissen. l. l. p. 609 ex Aeaceis reportatam esse. Idem statuendum est de carm. Pyth. 9, 90, ubi Telesicrates Aegineta Αἰγίνᾳ dicitur vicisse. Aeginetas autem, qui maxime gymnicis studiis apud se favebant fr. Isthm. no. 4 ταμίαι ἀγωνίωντ' ἀέθλων, summo studio puta illa Aeacea adiisse certatores; et profecto quantopere illi coluerint Aeacum ex toto Pindaro patet. Praemium fuit crater in Aeaceis propositus:

Schol. ad Ol. 7, 156 p. 182: ἐν δὲ Αἰγίνῃ τὰ Αἰάκεια, ὧν τὸ ἆθλόν ἐστι κρατήρ. — Megarensium fuerunt praeter Dioclea, Pythia, Nemea etiam Ἀλκαθοῖα cf. Schol. ad N. 5, 84 consecrata Alcathoo Pelopis filio, qui leonem Cithaeronium interfecerat. Ille heros Megaris heroum sic dictum habuit, quod Pausanias 1, 43. 4 vidit; prope illud haud scio an illi ludi habiti sint. De ratione ludorum Boeckh. l. l. p. 176: „hi Megarensium ludi potissimum pugilum, luctatorum, pancratiastarum videntur fuisse ... Sed Ol. 13, 105. Pyth. 9, 94 cursorum certamina Megaris significantur. Ibidem victorum nomina columellae inscribebantur, ut aliis locis multis, cujus generis haud pauci supersunt lapidei tituli". Memorantur Alcathoa J. 7, 67 ubi Cleandro coronam myrteam promittit poeta ex Alcathoi ludis reportandam. hoc igitur praemium datum videtur in illis ludis. Megaricos ludos apud Pindarum habes O. 7, 86. O. 13, 109. P. 8, 78. P. 9, 91. N. 3, 84. N. 5, 46. O. 9, 91.

In Rhodo vero Pindari aetate Tlepolemo Tirynthiorum in hanc insulam duci agebantur Tlepolemia ultra heroicos honores tanquam deo acta. Habebantur autem in illis 'sacrificia solemnia cum pompa, quam solemnitatem ludi secuti sunt O. 7, 77 sq.: τόθι λύτρον συμφορᾶς οἰκτρᾶς γλυκὺ Τλαπολέμῳ ἵσταται Τιρυνθίων ἀρχαγέτᾳ, ὥσπερ θεῷ, μήλων τε κνισάεσσα πομπὰ καὶ κρίσις ἀμφ' ἀέθλοις. Praemium fuit στέφανος λεύκη Schol. ad h. l. p. 179, ὁ δὲ νικήσας αὐτὰ λεύκην ἐλάμβανε στέφανον. Post Heraclidarum in Rhodo deminutionem etiam Tlepolemi honos videtur minutus esse et ludi tum Soli consecrati sunt, cf. Schol. ad 146 et 147; κρίσιν εἶπε τὸν ἀγῶνα τῶν Ἡλιείων, ὃν διατιθέασιν οἱ Ῥόδιοι. ἐψεύσατο δὲ ὁ Πίνδαρος· οὐ γὰρ Τληπολέμῳ ὁ ἀγὼν ἐπιτελεῖται, τῷ δὲ Ἡλίῳ τιθέασι τὸν ἀγῶνα vid. Boeckh. l. l. p. 174 qui Scholiastae refutavit explicationem cf. praeterea Hermann. antiqq. sacr. § 67, 6.

Marathone fuerunt Heraclea, quos ludos non confundendos esse cum aliis Athenis et in Attica celebratis Boeckh. l. l. p. 193 docet. Illa Marathonia Heraclea haud scio an prope illud Herculis τέμενος, ab Herodoto 6, 108 memoratum, celebrata sint. Dabantur victoribus argenteae phialae O. 9, 90; μένεν (Ephar-mostus) ἀγῶνα πρεσβυτέρων ἀμφ' ἀργυρίδεσσιν. Nam ἀργυρίδας

χρυσίδας Attici dicere solebant phialas argenteas, aureas cf. Schol. ad 134 p. 226: τοῖς γὰρ ἐν Μαραθῶνι τοῖς Ἡρακλείοις ἀγωνιζομένοις φιάλαι ἀργυραῖ δίδονται ἔπαθλον. Ἀθηναίοις δὲ ἔθος χρυσίδας καὶ ἀργυρίδας λέγειν. Ex illis ludis Epharmostus apud Pindarum dicitur victoriam reportasse O. 7, 89 συλαθεὶς ἀγενείων cf. Boeckh. l. l. p. 193. Memorantur hi ludi etiam O. 13, 110 et P. 8, 79.

Epidauri porro, ubi Aesculapium eximie cultum esse Pausan. 2, 26, 4 docet, ludi habebantur Aesculapio sacri. Idem Pausanias περιηγητής in luco Aesculapii 2, 27, 1 etiam stadium vidit 2, 27, 16 ibique Ἀσκληπίεια quinquennalia nono quoque post Isthmia die agi solita esse memorat Scholiastes ad N. 3, 145 p. 449 τίθεται δὲ ἐν τῷ ἄλσει τοῦ Ἀσκληπιοῦ, ἄγεται δὲ μετὰ ἐννέα ἡμέρας τῶν Ἰσθμίων.

Aesculapius quidem mea sententia Pindari temporibus non jam antiquus Phlegyarum deus erat, ut Dissen. in Beckh. ed. P. p. 379 vult Pausaniae 2, 26, 4 nixus verbis, sed ἥρως λαοσεβής cf. P. 3. In illis ludis Aristoclides Aegineta dicitur vicisse N. 3, 84. Alius porro Aeginetarum civis Pytheas ex illis duas victorias tulit alteram pugilatu, alteram pancratio partam N. 5, 50 sqq. Thebani Cleandri victoria ex Aesculapiis reportata commemoratur J. 7, 68. Praemium ludorum fuit, ut discimus ex hoc loco, corona myrtea aeque atque in Alcathoi ludis.

Protesilao porro ab Achaeis in urbe Phylace prope sinum Pagasaeum sita consecratus erat ἀγὼν ἐπιτάφιος (funebres ludi) haud dubie prope κενοτάφιον celebratus, quod in luco situm erat. Verum enim ejus sepulcrum in Chersonneso Thracia situm erat, ubi sacellum herois erat Herodot. 7, 33. 9, 116. 120. Plin. 16, 99. Memorantur ludi et illud τέμενος apud Pindarum J. 1, 58 cf. Schol. ad 83 p. 522: ἔστι δὲ Πρωτεσιλάου τέμενος ἐν Φυλάκῃ. τέμενος δὲ λέγεται οὐ μόνον τὸ ἱερὸν καὶ ὁ ναός, ἀλλὰ καὶ ἡ ἀφωρισμένη χώρα. Ὅμηρος (Il. 6, 194).

Ab Opuntiis in honorem Ajacis Oilei filii Αἰάντεια celebrabantur O. 9, 112, quum quidam dies festi antecederent: Scholia ad h. l. p. 230 et 231 jam supra p. 16 vidimus: ὅστις ἀνὴρ καὶ ἐν τῇ τοῦ Αἴαντος τοῦ Ὀϊλέως παιδὸς πανηγύρει καὶ ἐν τῷ ἐπωνύμῳ αὐτοῦ ἀγῶνι νικήσας θυσίαις καὶ στέμμασι τὸν Αἰάντειον βωμὸν κατεκόσμησεν. cf. supra p. 23 sq.

Quae postremo a Pindaro commemorantur Orchomeniorum certamina Minyae consecrata J. 1, 56, videntur ludi funebres fuisse prope sepulcrum herois acta, quod Pausanias vidit 9, 38, 3. Vocabantur vero illi ludi — notante Scholiasta ad J. 11 p. 518 — Μινύεια, ἐν δὲ Ὀρχομένῳ Μινύεια.

Isthmia denique huc referam quae ex veterrima traditione a Corinthiis Melicertae Inus filio acta sunt. Müller. Orchom. p. 176, postea vero a Theseo ad Neptunum traducta vid. Dissen. l. l. p. 607, qui doctorum hominum locos huc pertinentes in unum congessit. De illa nunc Isthmiorum origine locutus Pindarus fr. Isthm. no. 1 cecinisse videtur, ut Nereides quondam Aeoli filio Sisypho apparuerint hortaturae eum, ut in Melicertae honorem ludos institueret Isthmios cf. Boeckh. l. l. 558.

Ut jam hanc disputationis partem omittamus, dixisse mihi suffecerit, heroas — ut mihi videtur — vel Pindari aetate interdum statuis cultos esse. Ex prooemio enim carminis Isthm. 1 concludi potest, poetam alloqui Thebam heroinam, cujus statua fuerit apud Thebanos; eandem heroinam alloquitur fr. inc. gen. no. 104: εὐάρματε χρυσοχίτων, ἱερώτατον ἄγαλμα, Θήβα. Illa igitur statua aurea veste induta erat et clypeum aureum tenebat: χρύσασπι Θήβα J, 1, 1. Et profecto ex Pindaro patet vel ipsius aetate Rhodios, ut his utar, signorum elaborandorum peritia insignes fuisse O. 7. Elaboraverunt illi — teste poeta v. 51 sqq. — opera jam remotissimis temporibus et in viis publicis posuerunt, quae viva videbantur esse et gradientia: ἔργα δὲ ζωοῖσιν ἑρπόντεσσί θ' ὁμοῖα κέλευθοι φέρον.

Jam si quaeramus, num singulorum heroum cultus Pindari aetate per totam Graeciam propagatus fuerit, ante omnia monendum est, omnes fere Graeciae civitates sive regiones certos quosdam heroas eximie coluisse iisdem potissimum consecratas. Hinc necesse est proficiscatur tota disquisitio, sic tantum absolvenda. Ut statim ad poetam ipsum accedamus, Teucer in Cypro dicitur regnare procul a patria N. 4, 46. Colebatur igitur ille heros eximia cum pietate a Cypriis et profecto tenuerunt ejus posteri imperium usque ad Euagoram ut docet Pausan. 2, 29, 4: οἱ δὲ Τευκρίδαι βασιλεῖς διέμειναν Κυπρίων ἄρχοντες ἐς Εὐαγόραν. Eundem verisimile est etiam in Aegina

cultum esse, quum tota Aeacidarum gens in illa insula videatur heroicis honoribus usa esse, cf. J. 4, 34 sq. ἀλλ' ἐν Οἰνώνᾳ μεγαλήτορες ὀργαὶ Αἰακοῦ παίδων τε sc. eximie coluntur, cf. P. 8, 98 sqq. ubi totam Aeacidarum gentem precatur poeta, ut insulae fortunam servet.

Ajacem vero narrat poeta ipsam paternam insulam tenere Salaminem N. 4, 48: Αἴας Σαλαμῖν' ἔχει πατρῴαν. Ajacis vel templum in insula se vidisse commemorat Pausan. 1, 35, 2. Videtur igitur Ajax mythicus Salaminis patronus fuisse non Telamo pater, unde legimus J. 4, 48 πόλις Αἴαντος Σαλαμίς. Et ipsum Ajacem in Aegina cultum fuisse ex iisdem quos jam attuli locis J. 4, 34 sq. et P. 8, 98 sqq. apparet, quum eundem Delphis inter illos heroas, quibus heroicae pompae fiebant N. 7, 31 sqq., receptum fuisse probabiliter conjecerit Dissen. in B. ed. P. p. 424. In ponto Euxino, pergit poeta l. l. v. 49, Achilles candidam insulam tenet. Dicit vero Leucen parvam insulam ad Istri ostia sitam, quae Achilli sacra erat. Templum herois in insula memorat Pausan. 3, 19, 11. Videntur haec sacra a nautis Aeginetis ibi instituta esse ab Aegina huc delata, ut conjecit Müller. Aeginet p. 84, g. Colebatur ibi heros cum Iphigenia, ut Scholiastes ad N. 4, 79 p. 455 videtur monere; cultum eum esse in Aegina e carmine P. 8, 100 liquet, ubi invocatur heros a poeta pro Aeginae salute.

Neoptolemus vero Achillis filius, qui post Trojam eversam in Epirum discesserat N. 7, 38, ibi eximie colebatur N. 4, 51: Νεοπτόλεμος δὲ 'Απείρῳ διαπρυσίᾳ . . . . . Eundem Delphis insigni veneratione usum vel heroicis pompis ibi praefuisse vidimus p. 24 cf. N. 7, 46 sqq.

Poeta autem quum in illo carm. N. 4, 46 sq. id agere videatur, ut Aeacidas doceat in diversissimis locis pro heroibus coli, Thetidem quoque memorat, quae Peleo nupta Aeacidarum una putabatur esse. Hanc igitur docet Phthiae eximie cultam esse v. 50 Θέτις δὲ κρατεῖ Φθίᾳ cf. de hoc loco Dissen. in B. ed. P. p. 385.

Ab Aetolis Oenidae dicuntur σεβιζόμενοι θυσίαισι φαενναῖς J. 4, 29 sq. Quaerens Dissen. in B. ed. P. p. 517 quos potissimum dixerit poeta Oenei filios, imprimis de Meleagro et Tydeo cogitandum esse suspicatur. Jolaum porro Thebis eximie cul-

tum esse sequentia verba exhibent J. 4, 32 sq. Omittam enim quos Thebarum heroas vel heroinas poeta copiose posuerit fr. hymn. no. 1, reprehensus propterea a Corinna τῇ χειρὶ δεῖν σπείρειν, dicente, ἀλλὰ μὴ ὅλῳ τῷ θυλάκῳ.

Jolaum vero quantopere Thebani coluerint, docent vel illa ipsa certamina, quae in illius honorem celebrabantur summa omnium Graecorum frequentia honorata.

Perseus eximie colebatur Argis cf. p. 20 J. 4, 33: Περσεὺς δ'ἐν Ἄργει.

Diomedem quoque Argivum heroem fuisse apparet ex Homero, qui eum Argis narrat summum imperium tenere. Il. 2, 559. Et quod Pindarus Argorum laudes celebraturus cecinit, ut Diomedem Minerva reddiderit immortalem deum N. 10, 7, hinc concludi potest, eum etiam pro deo Argis cultum esse. Ceterum vide pluribus de Diomede disputantem Dissen. in B. ed. P. p. 463 et 464.

Dioscuros vero Spartae eximia veneratione usos esse haec docent verba J. 4, 33: Κάστορος δ'αἰχμὰ Πολυδεύκεος τ'ἐπ' Εὐρώτα ῥεέθροις cf. J. 1, 17. Templum illis Spartae consecratum vidit Pausan. 3, 14. 6: Διοσκούρων ἱερόν.

Aeaco vero et ejus genti Aeginam sacram fuisse docet poeta iisdem verbis, quae jam supra attuli J. 4, 34 sq.: ἀλλ' ἐν Οἰνώνᾳ μεγαλήτορες ὀργαὶ Αἰακοῦ παίδων τε.

In Rhodo colebantur Helii et Rhodi nymphae filii Heliadae in sua quisque urbe, ut ex carmine O. 7, 72 sq. videtur apparere. Vulgo enim κτίσται pro heroïbus colebantur. Illi enim tres divisa patria terra tres urbes condiderant, in quibus seorsim habitabant in sua quisque urbe; ab illis urbes vocabantur Jalysus, Lindus, Camirus O. 7, 74 sq. In eadem insula Tlepolemus divina veneratione dicitur usus esse O. 7, 77—80, cf. p. 27. Illum enim coloniae Argivorum in insulam deductae praefuisse ferebant Rhodii; quo in genere et Rhodios et poetam errasse docet Boeckh. l. l. p. 165 sq.

Orchomenios porro potissimum Minyam coluisse docet carm. J. 1, 56, ubi illi ludi memorantur in ejus honorem instituti; hic enim honor summus putabatur esse, qui heroïbus contingere posset. μυχὸν dicit poeta ibid. illius regionis planitiem sub montibus ad Cephissum sitam, quae tota videtur illi sacra

fuisse. Urbi denique Achaeorum Phylacae cultus Protesilai videtur ante omnia proprius fuisse, quum ἐπιτάφιος ἀγών dedicatus fuerit ad sepulcrum celebratus J. 1, 58 sq. cf. p. 28.

Antenoridae porro in Lybiam delati Cyrenas dicuntur tenere P. 5, 83 sq.: ἔχοντι τὰν χαλκοχάρμαι ξένοι Τρῶες Ἀντανορίδαι. apparet igitur illos eximia apud Cyrenenses veneratione usos esse tanquam heroas ἐγχωρίους cf. p. 11. Hic autem heroum cultus, qui ab initio non nisi ab una alterave Graeciae regione certis potissimum heroibus sacra proficiscebatur, postea per alias quoque Graeciae civitates propagatus est.

---

Transeamus jam ad aliam disputationis partem, in qua quaeramus, quantam heroes Pindarici vim habeant in hominum fortunam; quam quidem rem statim apparebit gravissimam esse, quum heroes primum apud Pindarum hanc quam dixi vim habeant in homines nec quidquam apud Hesiodum vel Homerum valeant ad constituendam vitam hominum, nisi Plutum dixeris in Theogonia v. 972—74 memoratum; illum vero locum praeter alios postea heroologiae additum esse constat.

Primo quidem loco de illa virtute cogitandum est, quae in hominibus vigeat ab heroibus tradita majoribus.

Theronis igitur Agrigentini virtutes ad vim a majoribus traditam revocantur: Thero enim ex Emmenidarum oriundus nobilissima gente originem deducebat a Cadmo totius gentis auctore. Vigebat, ait poeta, ab origine illa summi herois vis in posteris: Emmenidas igitur qui in Siciliam profecti Agrigentum postea condiderant, vita fausta prosecuta est et innatis eorum virtutibus divitias addebat atque gloriam rerum gestarum. O. 2, 10: αἰών τ' ἔφεπε μόρσιμος, πλοῦτόν τε καὶ χάριν ἄγων γνησίαις ἐπ' ἀρεταῖς. Illis nunc majoribus claris Thero plane dignus sancta justitiae colit jura tanquam ἔρεισμα Agrigenti v. 6 sq. et propter insitam genti praestantiam virtutibus tangit Herculis columnas O. 3, 44 οἴκοθεν, quos heros ultimos posuerit navigationis terminos. Quamvis enim hodie οἴκοθεν ideo positum esse intelligatur, ut longinquitas viae describatur a domo usque ad Herculis columnas, tamen ex Graecorum sententia ii tantum Herculis columnas i. e. summam felicitatem asse-

quuntur, qui insitas habeant virtutes. Hac de voce οἴκοθεν Schneidewin. l. l. p. 58 haec habet: „recte Heimsoethius I. p. 11 intellexit οἴκοθεν vulgo non recte referri ad insitas genti virtutes; sed summam felicitatem describi imagine longinquitatis viae a domo usque ad Herculis columnas, ut in illo loco Isthm. 3, 30. Et sic Humboldtius accepit: „Theron erreicht vom Heerde der Väter Herakles' Säulen." Et ipsum quod Cadmus expertus fuerit fatum aeterna vicissitudine adversarum et secundarum rerum insigne docet poeta in tota gente conspicuum esse; quod quum primum Cadmi filiarum sorte probet, quae post graves aerumnas felicitate fruantur eximia, altera ex parte per vicissitudinem rerum denuo mala gentis exorta esse docet, ex quo Lajus occisus fuisset a filio et bellum exortum fuisset inter fratres v. 38—42. Sed post mala etiam felicitas Cadmidarum redire debet eadem singularis, nam Μοῖρα, ἅτε πατρώϊον τῶν δ'ἔχει τὸν εὔφρονα πότμον, θεόρτῳ σὺν ὄλβῳ ἐπί τε καὶ πῆμ' ἄγει παλιντράπελον ἄλλῳ χρόνῳ v. 35—37. Thersander igitur relictus praeclaram restituit domum θάλος ἀρωγὸν δόμοις v. 42—45. Hoc autem aeternum Cadmidarum fatum per Emmenidas Agrigentum traductum denuo in Emmenidis viguit nec dubitari potest, quin Theronis intelligat poeta aerumnas; idem vero pristinam retulit gentis fortunam quum victoria curuli reportata gloriam sibi peperisset eximiam.

Afferam cetera quoque carmina in hoc genere memorabilia. De Xenocrate Agrigentino et Thrasybulo filio cf. P. 6, 15. J. 2. O. 2. De Agesia Syracusano O. 6. De Diagora Rhodio O. 7. De Arcesilao P. 4. P. 5. De Aristagora Tenedio N. 11. De Megacle Athen. Pyth. 7. De Herodoto Thebano Isthm. 1. De Telesicrate P. 9. De Hippoclea P. 10. De Milisso Thebano Isthm. 3, v. 14. De Chromio Nem. 1.

Nonnullis in carminibus victoris virtutes et ad genium gentis et ad illustriorem patriae indolem a priscis heroibus traditam videmus revocatas esse; quod saepius factum esse apparebit in laudandis Aeginae civibus.

In carm. Pyth. 8 Musas praedicat in Aegina valere, quum insula experta Aeacidarum virtutes v. 23 sq. κλειναῖσιν Αἰακιδᾶν θίγοισα νᾶσος, clara fuerit inde ab antiquo tempore; aluisse eam summos heroas in bellis ludisque victores et florere nunc

viris praeclaris v. 25—28 et quum justitiam Aeginetis tradiderint heroes, hujus quoque virtutis insulam docet clarum documentum praebere, nam κώμῳ μὲν ἁδυμελεῖ Δίκα παρέστακε v. 70 sq. cf. fr. Isthm no. 4, 5—8. Declarant sic omnia, cives virtutes ab heroibus traditas hodie quoque referre. Ad hanc igitur insulae indolem Aristomenis virtutes significat revocandas esse. Altera ex parte innatam quoque Midylidis virtutem in Aristomene viguisse docet victore. Eundem vestigia secutum cognatorum dignum dicit familia patribusque suis et probasse laudem ab Amphiarao quondam ad Thebas Epigonis dictam v. 44 sq.: φυᾷ τὸ γενναῖον ἐπιπρέπει ἐκ πατέρων παισὶν λῆμα.

Reliqua hujus modi carmina sunt: Nem. 3 de Aristoclide. Nem. 5 de Pythea. N. 6 de Alcimeda. N. 7 de Sogene. N. 2 de Timodemo. Isthm. 4 de Phylacida. Ol. 10 et 11 de Agesidamo. Ol. 13 de Xenophonte. Ol. 8 de Alcimedonte et fratre Timosthene. Ol. 9 de Epharmosto. Nem. 1 et 9 de Chromio. Nem. 10 de Theaeo Argivo. Nem. 4 de Timasarcho.

In duobus carminibus victoris praestantiam ad illustriorem urbis indolem solam revocat poeta ab heroibus toti urbi traditam.

Cleandri igitur Aeginetae virtutes victoriis perspicuas ipsis Aeginae virtutibus ab heroibus publicis traditas significat deberi Isthm. 7. Natum esse, ait, in Aegina Aeacum, mortalium maxime venerabilem, qui etiam lites composuisset deorum exortas v. 22—24. Laudat deinde ejus filios fortitudine insignes atque sapientia et pietate v. 25 sq.: τοῦ μὲν ἀντίθεοι ἀρίστευον υἱέες υἱέων τ' ἀρηΐφιλοι παῖδες ἀνορέᾳ χάλκεον στονόεντ' ἀμφέπειν ὅμαδον. σώφρονές τ' ἐγένοντο πινυτοί τε θυμόν. Quorum maxime Peleum ita eminuisse pietate, ut Thetidem eum meruisse dii ipsi judicarent. Altera deinde Aeacidarum virtus, fortitudo bellica exhibetur per fabulam de Achille praeclaram, qui Aeginam suamque stirpem ornaverit. Videmus igitur priscas Aeginae laudes a poeta celebratas, ut urbs jam antiquo tempore magnis virtutibus virisque praeclaris distinctam appareret fuisse. Quod factum eo suspicor consilio, ut Cleandri civis praestantiam ad illustriorem patriae indolem revocet, qui publicis urbis heroibus haud indignus horum virtutem referat. Vigent, ait, priscae heroum virtutes in Aeginae civibus conspicuae denuo in victore.

Nec aliter de carm. Isth. 6 statuendum est, ubi victoria Strepsiadis canitur. Hunc igitur non nisi Thebarum indolem priscis urbis ornamentis demonstratam significat referre, et miseriae urbis bello afflictae hoc novum victoriae decus opponens aeternam urbis fortunam docet adhuc vigere v. 37 sq. ἀλλὰ νῦν μοι Γαιάοχος εὐδίαν ὄπασσεν ἐκ χειμῶνος.

Enumeratis his exemplis haud scio an appareat heroes in constituenda urbis vel gentis suae salute permultum ex Graecorum sententia valuisse. Perpauca igitur inveniuntur carmina, ubi neglecta heroum indole in tota urbe vel in singulis hominibus conspicua victoria ad solum deorum beneficium revocatur, quod factum est Ol. 4 et 5 et 12 et 14. Pyth. 11, 12. Nem. 8.

Videamus jam, quantam heroes Pindarici vim vel ultra gentem suam habuerint in hominum fortunam.

Primum in hoc genere locum heroinae urbium tenent et heroes urbium publici. Illi enim tantam vim in universam urbis vel civium Fortunam putabantur habere, quanta urbem vel cives servare posset a rebus adversis: Huc pertinet quae saepius memorata est Aeacidarum invocatio pro urbis civiumque salute. P. 8, 99. sqq. Invocat autem poeta universam Aeacidarum gentem cum parentibus Aegina et Jove. Sic Cyrene heroina urbem cognominem dicitur tueri (ἀμφέπειν) celeberrimam ludis P. 9, 70. ἀμφέπειν enim pariter atque ἀμφιβαίνειν et ἀμφιπολεῖν de diis dicitur, qui locum aliquem tuentur, vid. qui huc pertinent locos a Dissenio l. l. p. 140. allatos.

Sic Thebe quoque heroina regit urbem poetae patriam, cui praeest ἡγεμών I. 7, 20. Tendunt eodem, quae a poeta preces dicuntur ad Aeacum solemnes, ut urbem civesque servet et a periculo imminente liberet N. 8, 13. cf. Dissen. l. l. p. 468—71.

De Dioscuris porro et Hercule cogitandum est, qui summam potentiam habere putabantur.

Propter Dioscuros afferam carm. Pyth. 5, 11. ubi Castor dicitur Arcesilai domum tempestates antea expertam serenitate illustrasse. Atque χειμέριον ὄμβρον dicit nuperas Cyrenaeorum seditiones a rege oppressas cf. Pyth. 4, 263. sqq., quae propter severitatem Arcesilai exortae erant cf. Dissen. et Boeckh. ad carm. P. 4. Oppressis igitur seditionibus Castor tempestatum domitor serenitate illustrat regiam domum et Pythiam victoriam ei tri-

buit. Sequor enim Scholiasten ad P. 5, 12 p. 378: ὁ Κάστωρ σοι εὐδίαν παρασκευάζει. ὑπαινίττεται δὲ τὸν τῶν Κυρηναίων νεωτερισμόν· στάσις γὰρ ἐνέπεσεν αὐτῷ πρὸς τὸν δῆμον· ὃν δὴ χειμῶνα ἔφη. διχόθεν ὁ Κάστωρ εὐμενής σοί ἐστιν, εἴς τε τὴν εὐδίαν, ἐκ χειμῶνος κατάστασιν καὶ εἰς τὴν ἱππικὴν νίκην. Videtur vero Castor jam Pindari temporibus tempestatum domitor fuisse, ut ex metaphora liquet. v. 11. Iidem Dioscuri Spartae custodes vocantur justos viros summo studio prosecuti N. 10, 52. sq. μάλα μὲν ἀνδρῶν δικαίων περικαδόμενοι „um den gerecht edlen Mann liebend besorgt.“ Et tutelares deos Dioscuros fuisse gentis a Pamphaë oriundae contendit Dissen. in B. ed. P. p. 740 fin.

Hercules vero vel majorem vim in hominum fortunam videtur habuisse. Vel ipsa templorum illi consecratorum vicinia summo putabatur praesidio esse, ut docet carm. Nem. 7,89. sq. (De Alcmaeone quidem poetae tutore jam supra diximus.) Et profecto Hercules hominibus mala gravia avertere potest ἀλεξίκακος, Jovi et Palladi ut adjuvent persuadens N. 7, 95 sqq.

Tantam vero auctoritatem non nisi summi heroes videntur habuisse ut Hercules, Dioscuri, Aeacus et quodammodo etiam reliqui heroes urbium publici. Hercules enim et Dioscuri jam Pindari aetate ad deos coepti sunt revocari, ut Hercules ἥρως θεός vocatur. Et ipse Aeacus jam illo tempore instar dei coeptus est haberi ab Aeginetis, ut liquet ex carm. N. 8, 17. Illum precatus poeta ut urbis saluti consulat, „fortuna“, ait „a deo profecta hominibus durabilior est atque constantior“.

Ceterorum autem heroum quam dixi vis certis quibusdam videtur finibus determinata fuisse. Poeta igitur quum Hieronem aegrotantem liberare voluisset a morbo „utinam“, ait, „Chiro adhuc viveret Aesculapii olim praeceptor, persuaderem ei carmine, ut similem nobis medicum concederet tibi adducendum P. 3, 1—5. 63—67. Sed quum Chiro non vivat, — videtur pergere v. 77. sqq., — nec exstent hodie quales fuerint medici olim, nunc Magnae Matri mihi faventi pia vota faciam pro tua salute“. Ex eo sutem, quod conversus poeta a Chirone ad Magnam Matrem, eam potissimum invocat, concludi potest, Chironem non tantam in homines vivos habuisse auctoritatem, quanta sufficeret ad sanandos aegrotos. Cultum vero esse Chironem pro heroe, vel ex eo apparet, quod ab eo sese ortam volebat vivens

prope Pelium Chironidarum gens, quae medicam artem exercebat cf. Dissen. l. l. p. 202. In concedendis autem victoriis e certaminibus reportandis heroibus haud exigua potentia tribuebatur. Primo loco de heroibus urbium publicis cogitandum est, quorum aras vidimus a victoribus reducibus coronatas esse cf. p. 16.

Tum recordemur illorum heroum, quibus ludi consecrati erant solemnes; illa certamina qui adibant sacris factis vota nuncupaverunt pro victoria concedenda cf. p. 15 sq.

Sic Neoptolemo quoque certatores puta vota fecisse, quum ille certaminibus praeesset post heroicas pompas Delphis celebratis N. 7, 46 sqq.

Summam vero in hoc genere potestatem Hercules et Dioscuri habebant, qni praeter Mercurium (O. 6, 80 sq. P. 2, 10 sq. et Nem. 10, 54) dii ἐναγώνιοι κατ' ἐξοχήν erant.

Arcesilai igitur victoriam Pythiam vidimus Castoris beneficio deberi P. 5, 10. Uterque vero frater dicuntur Theaeo Argivo victoriam tribuisse cum Mercurio et Hercule certaminum rectores N. 10, 50 sq., vel certamina Olympia moderati sunt ab Hercule instituti O. 3, 36 sqq. Tyndaridas igitur docet hospitales Theroni hanc talem coronam dedisse Olympicam O. 3, 39 sqq.

Similiter Hercules victorias dare potest N. 10, 53: vox enim μοῖρα ἀγώνων θάλεια nihil aliud significat nisi sortem praemiorum i. e. victoriam. Et ipse Iphicles videtur certamina moderatus esse ex Graecorum sententia, quum frater esset illius summi herois; utrique videtur quam poeta celebrat P. 9, victoria deberi cf. p. 16.

Alia porro auctoritatis heroum ratio in eo posita est, ut homines adjuvent indicando tempore futuro. Primo loco de oraculis cogitandum est jam apud Pindarum obviis: Habebat igitur jam Pindari aetate Amphiaraus oraculum sibi consecratum, ex quo jam Epigonis vaticinatus est eventum expeditionis fore felicem P. 8, 40 sqq. cf. p. 14 sq. Apparuerunt porro heroes hominibus in somno, ut indicarent iis tempus futurum ut liquet ex eodem carmine P. 8, 58 sqq.





# *Vita.*

*Natus sum in vico Sobbowitz prope Gedanum sito a. d. VI. Id. Jun. a. MDCCCXLIV. patre optimo Hermanno, rerum sacrarum in illo vico praefecto, matre Emilia e gente Laechelin, quos adhuc vivos veneror. Fide evangelica, quam dicunt, educatus eique addictus sum. — Primis literarum elementis privatim imbutus gymnasium Gedanense, quod tum sub auspiciis directoris ill. Engelhardt florebat, per septem annos frequentavi. Inde cum maturitatis testimonio — quod dicitur — vere anni MDCCCLXIV dimissus studiis philologicis in Academia Jenensi operam dare institui. Docuerunt me Proff. ill. Nipperdey, Kuno Fischer, Gœdechens, Adolph Schmidt. Gratissima memoria Professoris ill. Gœdechens recordor, viri doctissimi et humanissimi, qui summa in me contulit beneficia, cum lectionibus archaeologicis et philologicis aeque atque usu familiari studia mea regeret et moderaretur.*

*Vere a. MDCCCLXV Regimontum me contuli, ut in Academia Albertina studia persequerer. Docuerunt me proff. ill. Lehrs, Friedländer, Schade, Rosencranz, Ueberweg. Illi autem Lehrsio nec minus omnibus aliis qui ad literas cognoscendas duces mihi fuerunt, gratias quam maximas sicuti semper habebo ita hic ago. —*

**Conradus Ohlert.**


LIBRARY OF CONGRESS
0 003 055 207 6